

2. Ut ager, quamvis fertilis, sine cultura fructuosus esse non potest: sic sine doctrina animus. Ita est utraque res sine altera debilis. Cultura autem animi philosophia est: haec extrahit vitia radicibus, et praeparat animos ad satus accipiendos, eaque mandat his, et, ut ita dicam, serit, quae adulta fructus uberrimos ferant.

Salse ridebat Diogenes, Sinensis, inertiam et incuriam Megarensium, qui liberos nullis bonis artibus instruebant, curam vero pecorum diligentem habebant. Dicebat enim: *malle se Megarensis alicujus arietem esse, quam filium!* — Non absimili sententia, sed aliam ob caussam, dixit de Herode, Judaeorum rege, Augustus.—Quum enim audisset inter pueros, quos in Syria Herodes, rex Judaeorum intra bimatum jussit interfici, filium quoque ejus occisum, ait: *Melius est, Herodis porcum esse, quam filium.*

## CAPUT VI.

VIR DOCTUS POTIUS NON VULT DITESCERE, QUAM  
NON POTEST.

1. Quum Thaleti Milesio paupertatem verterent vitio cives ejus, et contenderent, studium philosophiae esse inutile ad rem augendam, etiam cupienti: voluit ille objurgatores suos convincere, ostendereque, philosophum facere posse pecuniam, si ei visum fuerit: eaque arte est usus. Intellexerat, ut ajunt, ex astrologia, olearum ubertatem hoc anno fore. Itaque hieme nondum exacta, paucorum nummorum copia instructus, conduxit parvo pretio omnia prela et trapeta, quae Miletii et in Chio insula erant; quum nemo contra licitaretur. Ubi vero conficiendi olei tempus venit, multis undique, et simul, ad prela